

num. ubi subdit : « Ubi ergo hæc aut similis con-  
» suetudo invaluit, ea utique erit sarta tecta custo-  
» dienda, neque conqueri poterunt laici quod  
» episcopus hoc sæcularis jurisdictionis minimum  
» frustulum consuetudine acquisitum sibi vindicet,  
» cum ipsi, sicut a Guillelmo Durando supra audi-  
» vimus, sola consuetudine, quæ ab initio dici  
» potuit abusus et corruptela, fere integram devo-  
» raverint jurisdictionem ecclesiasticam (*Expos.  
jur. pontif. p. I, sect. 229*). »

Attamen, constitutionem Clementis XIII, *Præ-  
lat Romanum Pontificem*, octavo kal. sept. 1765,  
oportet attendere, in qua legitur : « Quoniam expe-  
» rientia compertum est, prætextu quandoque con-  
» suetudinis, vel minus legitimæ, vel non omnino  
» constantis, neque a legitimis ductæ principiis,  
» facile nimium moveri nonnullas hujus nostræ  
» ditionis curias episcopales et ecclesiasticas, ut,  
» præoccupata magistratuum sæcularium jurisdic-  
» tione, ad se trahant cognitionem criminum etiam  
» gravissimorum quorum reos licet laicos, neque  
» foro ecclesiastico ullatenus gaudentes, cum apud  
» eas accusantur, carceribus statim mancipant,  
» eosque tradere renuunt curiis nostris secularibus  
» jaste puniendos : bonum ideo duximus præ-  
» senti hac constitutione, ut abusus occurratur,  
» declarare quæ et qualis esse debeat legitima  
» secundum canones consuetudo qua curiis episco-  
» palibus et ecclesiasticis jus esse possit de reo-  
» rum laicorum causis criminalibus cognoscendis  
» et judicandis.

» Igitur non omnem ad id consuetudinem, sed  
» illam tantum valere jubemus, quæ et quadrage-  
» naria sit et perpetuo constans, non unquam vel  
» contradicta, vel interrupta. Præterea constitui  
» eam volumus multiplicitate ac frequentia actuum  
» non levium sed gravium, quos constat gestos  
» fuisse animo præscribendi jurisdictionem sæcula-  
» rem, non ex gratia vel conniventia toleratos,  
» neque tales qui fieri fortasse potuerint citra certam  
» præcisamque scientiam et acquiescentiam vel  
» nostram, nostrorumque pro tempore successorum,  
» vel saltem supremorum magistratuum nostræ  
» hujus Urbis, quos præcipue ad publicam perse-  
» quendam vindictam criminum præponere consue-  
» vimus; nullam prorsus in re tam gravi haberi  
» mandantes rationem de scientia ac patientia rec-  
» torum localium, aliorumque inferiorum magi-  
» stratuum sæcularium, quibus quandoque vel  
» oscitantibus, vel metu quodam reverentia con-  
» niventibus ac tolerantibus nequaquam licere ac  
» licuisse statuimus gratia, acquiescentia ac pa-  
» tientia sua legitimam facere consuetudinem,  
» qua mandata eis jurisdictione, perturbato utriusque  
» potestatis ordine, minuatur. Si ea itaque con-  
» suetudo afferatur, qualem modo statuimus,  
» illam volumus custodiri ac servari; inductam vero  
» aliter reprobamus et nullius esse roboris nostra  
» hac constitutione decernimus. »

Nemo non videt quanti sint momenti regulæ hic

memoratae a Clemente XIII pro verificanda legiti-  
mitate consuetudinis de qua agitur.

## ADNOTATIO XXXVII.

*Lib. II Decret. Tit. III. De libelli oblatione, § III.  
n. 84, pag. 265.*

## EXEMPLUM CITATIONIS EDICTALIS.

Cum, anno 1864, in lucem prodierint typis pari-  
siensibus Cosson et soc. ac per diocesium Versalien-  
sem sparsi fuerint libelli anonymi, qui *Lettres de  
Sophronius* inscribebantur, et impudenter insecta-  
bantur episcoporum et ipsius Sedis apostolicæ gesta  
et salubriter decreta de *Breviario* et *Missali Roma-  
no*, DD. Joannes Petrus Mabile, episcopus Versa-  
liensis, sub die 3 martii ejusdem anni, Instructio-  
nem pastorem et decretum publicavit. Porro in  
Instructione pastoralis legitur :

« Quoniam vero invecus rumor ac non paucis de  
clero nostro ingesta persuasio est ejusmodi libelli  
auctorem aut saltem cooperatorem existere quem-  
dam diocesis nostræ presbyterum (quod sane, si  
verum sit, dolemus et vos omnes nobiscum dolebi-  
tis quam maxime), haud satis episcopali muneri  
nostro facturos duximus, nisi tam perniciosum  
attentatum ac scandalum merita correptione ac  
damnatione cohiberemus. Simul autem occasionem  
arripiemus quæ sit sana ac tenenda quoad rem  
liturgicam doctrina, non tam ex nostro quam Sedis  
apostolicæ, communique probatorum scriptorum  
judicio, exponendi ac edocendi. »

Decretum autem sic se habet :

« I. Libellum anonymum inscriptum *Lettre de  
Sophronius*, itemque alterum pariter anonymum,  
*Deuxième lettre de Sophronius*, utpote continentem  
propositiones erroneas, scandalosas, nec non epi-  
scopis Galliæ ac ipsi etiam Sedi apostolicæ injurio-  
sas damnamus ac proseribimus.

» II. Prohibemus ne ullus diocesis nostræ cle-  
ricus, nisi forte licentiam a nobis obtinuerit, præ-  
fatos libellos legere, aut apud se vel etiam alibi  
retinere præsumat, sub pena suspensionis ab exer-  
cizio sacri respectivo ordinis, per tres menses ipso  
facto incurrenda.

» III. Anonymo eorumdem libellorum auctori  
vel etiam cooperatori, si revera (prout invaluit  
rumor) sit unus ex presbyteris jurisdictioni nostræ  
subjectis, præcipimus ut intra spatium triginta die-  
rum, ab edito præsentis nostro decreto computan-  
dorum, se sistat coram uno e vicariis nostris gene-  
ralibus, vel majoris seminarii nostri directoribus, ac  
ei extra pœnitentiale sacramentum declarei retrac-  
tari a se ac reprobari utramque memoratam scrip-  
tiunculam; quam declarationem volumus ut nobis  
testetur qui eam receperit, tacito tamen rei nomi-  
ne, si forte is ita poposcerit. Quod si infra præ-  
scriptum temporis articulum dictus anonymus  
præmisso nostro mandato non paruerit, suspensio-  
nem ab officio, si quod forte obtineat, et a sacræ

ordinis exercitio, ipso facto per annum incurrat.

» Præsens autem decretum nostrum Sedi apo-  
stolicæ, cujus supremo judicio episcoporum judicia  
omnia de jure subjiciuntur, transmitti optamus ac  
procurabimus. »

## ADNOTATIO XXXVIII.

*Lib. II Decret. Tit. VII. De juramento calumniæ,  
§ II. n. 21, pag. 293.*

## DE JURAMENTO CALUMNIE A CLERICIS PRÆSTANDO.

« In cap. I, *Inhærentes*, hoc titulo, Honorius  
jubet circa juramentum calumniæ, quod asserit in  
primo litis exordio præstari debere, observari con-  
stitutionem Henrici II imperatoris, qua edictum  
imperatoris Marci (non Marci, ut in textu) de  
clericis Constantinopolitanis, quo jurare prohibe-  
bantur, ad omnes clericos pertinere declaravit et  
vetuit clericos quoscumque, in quacumque causa  
tam civili quam criminali, compelli ad jurandum;  
sed voluit aliis idoneis personis id esse delegandum.  
Moderando tamen Honorius præfatum edictum,  
prohibuit ne episcopus, inconsulto Pontifice, et  
quisvis clericus, inconsulto prælato suo, jurare  
auderet.

» Verum huic sanctioni, ad juramentum in pri-  
mo litis exordio præstandum quod attinet, deroga-  
tum est a Bonifacio VIII declarante hoc præstari  
posse in qualibet litis parte, cap. I, *Si de calumnia*,  
hoc eod. titulo in 6.

» Quoad delegationem alteri faciendam, pro dicti  
juramenti præstatione, pariter derogatum est ab  
Eugenio III, permittente illud præstari posse etiam  
a principalibus absque alterius delegatione juxta  
qualitatem personarum et causarum opportunita-  
tem, ut ejus decretali relata cap. III, *In pertractan-  
dis*, hoc eod. titulo.

» Derogatum est etiam a Lúcio III id sine ulla  
limitatione cuicumque clerico permittente, cap. v,  
*Cæterum*, hoc eod. titulo.

» Item quoad episcopos, derogatum est a Grego-  
rio IX, cap. VII, *Cum in causa*, hoc eod. titulo.

» Quoad facultatem obtinendam a summo Ponti-  
fice pro præstando juramento ab episcopo, et obti-  
nendam ab hoc respectu clericorum, derogatum  
est a contraria consuetudine, propter difficultatem  
recurrendi in omnibus casibus ad Pontificem re-  
spectu episcopi, et ad ordinarium respectu clericor-  
um, ut notant Hostiensis et Panormitanus hic n.  
16 et 18, et hoc procedit de quocumque jura-  
mento.

» Prohibuerat Eugenius, cap. II, *Litteras*, hoc  
titulo, præstari juramentum calumniæ in iis causis,  
in quibus de decimis ecclesiæ et rebus ecclesiasticis  
ageretur. Verum hæc decretalis abrogata est a Bo-  
nifacio VIII contrarium statuente cap. I, *Si de ca-  
lumniæ*, hoc eod. titulo in 6, § *Quamvis*.

» Insuper præceperat laudatus Eugenius cap. III,  
*In pertractandis*, ut, si quando præstandum esset

juramentum per procuratorem, illud præstare de-  
beret in animam principalis, non in suam. Verum  
hoc hodie locum amplius non habet propter deroga-  
tionem, seu ampliationem factam a Bonifacio VIII  
præcipiente procuratorem etiam debere jurare in  
animam suam, sive sit instructus de causa, sive  
non, ut videlicet sollicitus sit ne suscipiat defen-  
sionem causæ iniquæ, præsertim si sciat illam esse  
iniquam, ut ex ipsius decretali cap. II, *In appella-  
tionis*, hoc eod. titulo in 6.

» Ex cap. cit. v, *Cæterum*, colligitur non valere  
consuetudinem ne juramentum calumniæ præstetur.  
Verum ex decretali Bonifacii VIII, cap. I, *Si de  
calumniæ*, propter illius omissionem, processus non  
est nullus.

» Denique quod, ex cap. VII, *Cum in causa*, hoc  
titulo, episcopo juramentum de calumnia præstitu-  
ro exhibendum sit Evangelium præscribitur, con-  
traria consuetudine derogatum est, quandoquidem,  
ex inconcussa observantia, ut ad hoc idem caput  
notat Barbosa n. 3, tam episcopi quam cardinales,  
et alii quicumque in sacris constituti, non jurant  
in causis judiciariis, aut exhibitis aut tactis Evan-  
geliis seu Scripturis aliquibus, sed tacto dumtaxat  
pectore. In aliis vero casibus, v. g. in fidei promissio-  
ne emittenda, indubiæ consuetudinis est ut tan-  
gant Evangelia (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*,  
par. I, sect. 233, 234, 235, 236 et 237). »

## ADNOTATIO XXXIX.

*Lib. II Decret. Tit. IX. De feriis, § I. n. 12,  
pag. 312.*

## DE FESTIS EX PRÆCEPTO CELEBRANDIS.

« In decretali, cap. v, *Conquestus*, hoc titulo,  
numerantur dies feriati, in quibus actus judiciales  
exerceri nequeunt; quibus ex constit. Urbani VIII,  
*Universa*, idib. sept. 1642, addendi sunt sex alii,  
videlicet : Corporis Christi, Inventionis S. Crucis,  
S. Josephi, S. Annæ, et duorum ex principalioribus  
patronis, unius nempe in quocumque regno sive  
provincia, alterius in quacumque civitate, oppido  
vel pago, ubi hos haberi et venerari contigerit.  
Quos sex dies declarat Pontifex etiam observandos  
esse de præcepto quoad auditionem missæ et vaca-  
tionem ab operibus servilibus; sicuti et quatuor  
ex septem festivitibus B. Virginis, Purificationis  
nempe, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis,  
ibi :

« Decernimus et declaramus infrascriptos dum-  
» taxat dies pro festis ex præcepto colendos esse,  
» quos nempe vel ab initio veneranda sacravit  
» antiquitas, vel universalis Ecclesiæ probavit con-  
» suetudo, vel omnium gentium unanimes pietas  
» veneratur, dominicos scilicet dies totius anni, Na-  
» tivitatis D. N. Jesu Christi, Circumcisionis, Epi-  
» phaniæ, Resurrectionis cum duobus sequentibus  
» feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duobus pari-  
» ter sequentibus feriis, sanctissimæ Trinitatis,

» solemnitatis Corporis Christi et Inventionis  
» S. Crucis, necnon festivitatem Purificationis, An-  
» nuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Deiparæ  
» Virginis, Dedicacionis S. Michaelis archangeli,  
» Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri et Pauli,  
» S. Andreae, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ,  
» SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi, S. Mat-  
» thæi, SS. Simonis et Judæ et S. Matthiæ,  
» Christi Domini apostolorum. Item S. Stephani  
» protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii,  
» martyris, S. Sylvestri, papæ et confessoris,  
» S. Josephi etiam confessoris et S. Annæ, Deiparæ  
» respective sponsi ac genitricis, solemnitatis om-  
» nium Sanctorum, atque etiam ex principalioribus  
» patronis in quocumque regno sive provincia, et  
» alterius pariter ex principalioribus in quacumque  
» civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi,  
» et venerari confingerit. »

« Addenda est etiam festivitas Conceptionis Im-  
maculatæ Virginis Mariæ ubique de præcepto ser-  
vanda, ex constit. Clementis XI, *Commissi nobis*,  
6 dec. 1708. In hujus festivitatis die omnibus  
Christi fidelibus confessis et sacra communione re-  
fectis, visitantibus aliquam ex ecclesiis tam Fratrum  
minorum S. Francisci de observantia et reforma-  
torum, quam monialium dicti ordinis, et ibidem  
orantibus, Benedictus XIII concessit indulgentiam  
plenariam in perpetuum, ut ex decreto *Ad augen-  
dum*, 12 dec. 1729.

» Olim ex constit. Sixti IV relata in Bullario  
Rodriguez fol. 317 et 318, ex decreto S. Congr.  
Rituum, 3 jan. 1622 et 21 april. 1640, erat etiam  
ubique observandus de præcepto dies festus  
S. Francisci Assisimat; verum post cit. constitu-  
tionem Urbani, observatus fuit tantum ex devo-  
tione.

Nota I. Quod, quamvis supra relata decretalis  
*Conquestus* relicta fuerit in suo robore ab Urbano  
VIII, ei tamen derogatum fuit a contraria consuetu-  
dine in ea parte in qua disponitur ut episcopus  
indicare possit alios festos dies cum consensu po-  
puli, licet et hodie non desint qui sentiant teneri  
requirere dictum consensum, ut optime notatum  
est in *Addit. ad Prompt. Biblioth. Lucii Ferraris*  
vº *Festa*, post n. 139, n. 5.

» Nota II. Ab hac regula excipi indictionem festi  
de patrono civitatis, pro quo eligendo requiritur  
consensus populi, ut ex sequenti decreto Congreg.  
Rituum, jussu ejusdem Urbani edito 23 mart. 1630,  
in quo datur etiam norma episcopis pro electione  
patronorum, de quibus sermo est in mox allata  
constitutione. S. Congr. in electione patronorum  
mandavit infrascripta in posterum servari debere,  
declarans quod aliter facta electio nulla sit ipso  
jure. (Intellige post promulgationem sequentis de-  
creti, non antea, ut respondit ead. Congr. in *Tra-  
janensi patronatus*, 15 jun. 1632, et in *Neapolitana*  
*patronatus S. Franc. Xaverii*, 15 sept. 1636.) »

» Sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctis-  
simo D. N. in electione patronorum mandavit

» infrascripta in posterum servari debere, decla-  
» rans quod aliter facta electio nulla sit ipso jure.

» I. Quod eligi possint in patronos ii solum, qui  
» ab Ecclesia universali titulo sanctorum coluntur,  
» non autem beatificatorum dumtaxat.

» II. Quod de patrono civitatis electio fieri debeat  
» per secreta suffragia a populo, mediante consilio  
» generali illius civitatis vel loci, non autem ab  
» officialibus solum, et quod accedere debeat con-  
» sensus episcopi et cleri illius loci. Idemque ser-  
» vari debeat in patrono regni, qui pariter eligi  
» debet per secreta suffragia a populo singularum  
» civitatum provinciarum. Et quod representantibus  
» regnum, civitatem, vel provinciam nulla compe-  
» tat facultas eligendi patronos, nisi ad hoc habeant  
» speciale mandatum et ulterius interveniat consen-  
» sus episcopi et cleri dictarum civitatum.

» III. Quod causa electionis novorum patronorum  
» debeant in S. Congreg. deduci, et ab ea exami-  
» nari, ac demum, causa cognita, ab ead. Congreg.  
» approbari et confirmari.

» Et ne præmissorum ignorantia ullo unquam  
» tempore possit allegari, ead. S. Rit. Congr.  
» suprad. decretum imprimi et publicari manda-  
» vit. »

« Nota III. Constitutionem Urbani non admissæ  
episcopis facultatem indicendi dies festos, ut minus  
recie nonnulli autamarunt, quemadmodum anim-  
adversum est apud Ferraris, loc. cit. n. 3; cum  
in ea solum legatur admonitio ut se abstineant in-  
dicere novas festivitates ultra præscriptas in ead.  
constitutione; non vero clausula aliqua, adimens  
facultatem ipsis ex hoc decretali competentem, ut  
ex lectura dicte constitutionis (*Giraldus, Exposit.*  
*jur. pontif. part. I, sect. 246*). »

Cæterum, quæd dies festos de præcepto colendos  
in variis partibus totius orbis catholici, videre est  
indulta specialia a summis Pontificibus, pro oppor-  
tunitate locorum et personarum, benigne con-  
cessa.

In Gallis, virtute indulti *Apostolicæ Sedis*, die 9  
aprilis 1802, a cardinali legato Caprara concessi,  
dies festi præter dominicos observandi sunt: Nati-  
vitas Domini nostri Jesu Christi, Ascensio, Assump-  
tio beatæ Mariæ Virginis, et festum omnium Sanc-  
torum.

Cf. Tractatum de festis, *Analecta jur. pontif.*  
*sæta serie*, col. 1349, ubi concessionem apostolicam  
pro variis regionibus recensentur.

## ADNOTATIO XL.

*Lib. II Decret. Tit. IX, § 1, n. 13, pag. 312*

POTESTAS CIVILIS NON POTEST INSTITUERE FESTA.

In *Analect. jur. pontificii*, septima serie, col. 320,  
reperimus sequens Innocentii X Breve, quod ad  
presentem materiam spectat.

« Innocentius PP. X, ad futuram rei memoriam  
— Cum nuper ad notitiam nostram, non sine

gravi animi nostri moerore pervenerit, quod dilecti  
filii senatus Mediolani per litteras circulares datas  
die 20 junii proxime præteriti, et dilectus filius  
nobilis vir modernus gubernator Status Mediolani,  
per edictum publicatum die 30 ejusdem junii, man-  
daverint observari diem festum S. Dominici, die 4  
mensis augusti, jussu libet anni, in toto illo Statu,  
præcipientes ut populi et subditi illius Status absti-  
neant ab operibus servilibus, et artifices tabernas  
et apothecas clausas teneant, prout servatur cæteris  
diebus festis ex præcepto, et ulterius in edicto præ-  
dicto exprimitur festivitatem esse celebrandam cum  
omni devotione et pietate christiana. Nos quibus  
universalis Ecclesiæ regimen a Deo commissum est,  
considerantes quam perniciosum auctoritati Ecclesiæ  
id esse possit, cum principes laici, quos in rebus  
Ecclesiæ obsequendi potius manet necessitas, quam  
auctoritas imperandi, non habeant facultatem indi-  
cendi dies festos in honorem sanctorum; de vengo-  
rabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium  
sacris ritibus præpositorum, quibus hoc negotium  
discutiendum commissimus, consilio, prædictas lit-  
teras ac edictum emanatum auctoritate laicali super  
observatione prædictæ festivitatis S. Dominici fuisse  
et esse omnino nulla, nulliusque roboris et mo-  
menti, nec aliquo modo servanda, apostolica aucto-  
ritate tenore presentium declaramus; sicque, et  
non aliter in præmissis per quoscumque iudices  
ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii  
apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. etiam de  
latere legatos, et quosvis alios quacumque auctori-  
tate fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis  
aliter judicandi et interpretandi facultate et aucto-  
ritate, judicari et definiiri debere; ac irritum et  
inane, si secus super his a quoquam quavis aucto-  
ritate scienter vel ignoranter contigerit attentari  
decernimus; in contrarium facientibus non obsta-  
ntibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam  
Majorem sub annulo Piscatoris die 6 octobris 1633,  
Pontificatus nostri anno decimo. »

## ADNOTATIO XLII.

*Ab. II. Decret. Tit. IX, § 1, n. 19, pag. 313.*

DE MENSURA DIEI.

« Cap. II, Quoniam, hoc titulo, legitur: « Licet  
» scriptum sit, *De vespera in vesperam celebrabitur*  
» *sabbata vestra*, festorum tamen principium et  
» finis juxta eorum qualitatem et diversarum re-  
» gionum consuetudinem debet attendi... »

« Circa principium et terminum diei festi, quem  
juxta consuetudinem diversarum regionum hic ob-  
servari præcipitur, de qua etiam in can. 15, *De su car-  
nium*, dist. 3, *De consecr.* qui est Leonis Papæ IV,  
derogatum est a contraria consuetudine, qua stan-  
te, præceptum colendi dies festos, quoad jejunium  
et vacationem ab operibus servilibus, incipit a me-  
diæ noctis et desinit post lapsum mediæ noctis  
noctis diei subsequentis; sicut et quoad contractus,

ut statuitur cap. xxxiv, *Consuluit, de Off. jud. deleg.*  
et l. *More*, ff. eod. Quoad actus vero judiciales, incipit  
mane et desinit in fine diei ante noctis tenebras,  
cit. cap. *Consuluit. Authent. De judic. § Sedebunt.*  
Nisi dicere velimus quod illa verba textus, *A vespera*  
*ad vesperam*, intelligenda sint dumtaxat quoad divi-  
norum officiorum celebrationem, juxta antiquum  
Ecclesiæ usum, quo fideles in Ecclesia, diebus festis,  
singulis horis canonicis aderant, ut optime hic  
probat Gonzalez (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.*  
part. I, sect. 243). »

## ADNOTATIO XLII.

*II. Decret. Tit. IX, § 1, n. 23, pag. 314.*

DE MERCATIBUS DIEBUS FESTIS.

« Quod autem mercatus prohibitionem respicit,  
transcripta decretalis *Ommes*, cap. I huj. tituli, in-  
novata est et extensa ad omnes alios dies festos a  
Benedicto XIV, constit. *Ab eo tempore*, 5 nov. 1745,  
§§ 22 et 23:

« Debito procedentes ordine, mercatus a nundi-  
» nis distinguimus. Textus juris canonici paulo  
» ante allegatus in cap. I, *de Feriis*, loquitur de  
» mercatu. Idem quoque verbum in constitutione  
» sua usurpat S. Pius V. Communis præterea sen-  
» tentia est, quidquid sit de nundinis, mercatum  
» haberi non posse diebus festis, sed esse transfe-  
» rendum in antecedentem vel in subsequentem  
» diem, si in festum incidit. Hinc regulæ nos  
» in hæsimus, facultatem tribuentes, die 9 maii 1742,  
» viro nobili Ferrariensi habendi mercatum in  
» suo rure qualibet feria quinta, dummodo in illam  
» non incidit festum servandum ex præcepto;  
» quo casu mercatus transferretur in feriam quar-  
» tam. Qua de re omnem dubitandi ansam præci-  
» dentes vobis per hæc apostolica scripta manda-  
» mus ne in diocesium vestrarum urbibus et locis  
» mercatus fieri festis diebus patiamini.

» Libentius præterea id vobis præcipimus, quia  
» post sedulum ac maturum examen, consentaneè  
» idipsum decrevit, die 2 maii 1711, Congregatio  
» cardinalium conc. Trid. interpretum in causa  
» *Ripana mercatus*, ut ex lib. XVI decretor. pag. 203,  
» a tergo. Quod decretum apostolica auctoritate  
» nostra comprobantes, instar regulæ esse volumus  
» ac in omnibus temporalis ditionis nostræ provin-  
» ciis, urbibus, ac locis Sedi apostolicæ mediate  
» vel immediate subjectis, inviolabiliter observari  
» præcipimus. Decreti hujusmodi sequens est  
» exemplum. Cum modernus episcopus Ripanus de  
» mense sept. 1709 edictum typis mandaverit  
» super observantia dierum festorum, in quo sig-  
» nanter illud præscripsit:

» § II. Le fiere che sogliano farsi in alcune feste  
» determinate dell' anno, si tollerano dopo cele-  
» brato la messa maggiore, ma i mercati, che si  
» fanno in giorno fisso della settimana, cadendo  
» in questo qualche festa, si trasferiscano nel

» giorno antecedente, o susseguente non festivo  
 » secondo la disposizione di tutti i sinodi diocesani  
 » da' nostri antecessori stampati sotto le infra  
 » scritte pene etc... « Nihilominus civitas et homi-  
 » nes Ripani ad impediendam ejusmodi edicti pro-  
 » mulgationem, ex asserta immemorabili consue-  
 » tudine habendi mercatum in die sabbati, etiamsi  
 » in eum incidat dies festus, obtinuerunt apostoli-  
 » cæ camerae monitorium super manutione  
 » cum inhibitione, sed R. P. auditoris Sanctissimi  
 » decreto causa remissa fuit ad hanc S. Con-  
 » gregationem, in qua, concordato infra scripto  
 » dubio, contingit hodie ex deducendis hinc  
 » inde a partibus momentis disputari: An liceat  
 » communitati et hominibus Ripani habere merca-  
 » tum die sabbati intus vel extra civitatem, quando  
 » occurrit quod sit dies festus, in casu... Die  
 » 2 maii 1711, Sac. Congr. Conc. respondit nega-  
 » tive et hujusmodi causam amplius non proponi  
 » mandavit. »

« Hanc prohibitionem observandam omnino præ-  
 ceptum Benedictus XIV, cit. const. § 24, quacumque  
 consuetudine, etiam immemorabili, non obstante.

» Cum mercatibus succedant nundinae, circa  
 has ab ordinariis statui mandavit, § 30, eo pari  
 modo quo ipsemet statuit pro nundinis Senogal-  
 liensibus, sub die 24 aug. 1744, const. *Paternæ*, ut  
 scilicet: « Matutinas et vespertinas horas, quibus  
 » festo die quo nundinae habentur, claudi debeant  
 » apothecæ nec publica possint exerceri commer-  
 » cia, ut qui ad nundinas confluerunt, missæ sa-  
 » crificio et divinis officiis intersint, aliisque chris-  
 » tianis operibus festum sanctificent. »

« Idem, const. *Nihil profecto*, 12 aug. 1742,  
 § 3, præcepit episcopis ut turpes et obscenas exer-  
 citationes puerorum, et adolescentium nudorum  
 eursus, luctasque, festis potissimum diebus, quo-  
 cumque nomine et occasione exhibendas elimi-  
 nent (Giraldus, *Expos. jur. pontif.* part. I, sect. 242). »

## ADNOTATIO XLIII.

*Lib. II. Decret. Tit. IX, § 1. n. 24, pag. 314.*

DE FACULTATE VACANDI OPERIBUS SERVILIBUS DIEBUS  
FESTIS.

« Quamvis in decretali *Licet*, cap. III, hoc titulo,  
 tributa sit facultas vacandi piscationi hic enuntiatæ,  
 diebus festis, solemnioribus exceptis, cum onere ta-  
 men, ea peracta, impertiendi titulo eleemosynæ con-  
 gruat portionem (decimam nempe partem juxta  
 Glossam hic) luci inde retracti vicinis ecclesiis et  
 Christi pauperibus, non inde sequitur licere loco-  
 rum ordinariis vel hoc aliud onus imponere in con-  
 cedenda facultate vacandi diebus festis operibus  
 servilibus cum necessitas exigit, sive agatur de  
 piscatione eorum piscium quorum piscatio aliquo  
 tantum anni tempore exerceri potest (ut sunt  
 thunni, sardæ) sive de quocumque alio necessario  
 opere, sed tenentur istam gratis concedere, ex

constit. Urbani VIII, *Universa*, idib. sept. 1642,  
 § 3. Simile quidem onus imponi solum potest a  
 Summo Pontifice, quemadmodum etiam a Sixto V  
 impositum fuisse refert Benedictus XIV, const. *Ab  
 eo tempore*, 5 nov. 1743, § 27.

» Non est tamen episcopo prohibitum hortari  
 populum ad aliquam eleemosynam applicandam  
 pro sublevatione locorum piorum, si qui alicubi  
 maxima egestate laborent, ex decreto Congreg.  
 episcop. et regular. in *Cosertana*, 29 nov. 1594, re-  
 lato a Lucio Ferraris, *Prompta Biblioth. vº Festa*.  
 n. 35. Quod tamen crederem esse intelligendum,  
 quando dispensatio concederetur pro universitate  
 alicujus loci, non pro aliqua peculiari persona.

» Has vero licentias non est in episcopi facultate  
 denegare in casu veræ necessitatis, ut declaravit  
 eadem Congr. in *Beneventana*, 12 maii 1643, prout  
 refert idem Ferraris, loc. cit. n. 32 (Giraldus,  
*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 244).

## ADNOTATIO XLIV

*Ibid. pag. 314.*

## AN POSSIT MATRIMONIUM CELEBRARI DIEBUS FESTIS?

Respondendum negative, si agatur de danda  
 solemnni benedictione nuptiarum. Attamen « Nota I  
 nullam in jure inflictam esse penam latæ senten-  
 tiæ contra parochum nuptias benedicientem his  
 diebus vetitis; ex communi tamen theologorum  
 sententia lethaliter peccat, ut transgressor præ-  
 cepti, quod Ecclesia consuevit præcipere tanquam  
 in re gravi, ut luculenter ostendit Benedictus XIV,  
*Instit. eccles.* LXXXI, ubi ex sententia Rossignoli  
 asserit etiam lethaliter peccare contrahentes, bene-  
 dictionem recipiendo. Non peccant tamen, si ante  
 benedictionem solemnem hoc medio tempore ma-  
 trimonium consumment, cum nulla lege id clare  
 interdicitur, ut cum celeberrimis theologis et  
 canonum interpretibus probat idem Benedic-  
 tus XIV, cit. *Instit.* § *Sed jam*, usque ad § *Nunc  
 autem*.

» Nota II nomine solemnium nuptiarum  
 venire solemnem benedictionem, publicam cum  
 plausu et pompa sponsæ traductionem ad domum  
 sponsi, et convivia in solemnitate nuptiarum adhi-  
 beri solita, ut ex *Rituale Romano* in rub. *de Sa-  
 cram. matrimonii*.

» Nota III quod, quamvis de jure communi  
 licitum sit contrahere matrimonium tempore feria-  
 rum sine solemnitatibus, secus tamen est de jure  
 municipali, synodali, aut de peculiari quampluri-  
 mum diocesium consuetudine, ut probat laudatus  
 Benedictus, loc. cit. ideoque in his locis debet peti  
 ab ordinario licentia illud contrahendi, in qua ap-  
 poni solent hæc clausulæ: « Sponsis tamen iudici-  
 » mus ne ullam nuptiarum pompam hoc tempore  
 » statuam — insuper tu (nempe parochus) servabis  
 » consuetam normam S. concilii Tridentini ac  
 » *Rituali Romani* (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*  
 part. I, sect. 245). »

## ADNOTATIO XLV.

*Lib. II. Decret. Tit. XIII, de Restitutione spoliatorum,  
 § I, n. 24, pag. 390.*

QUID DE BONIS ECCLESIASTICIS AB INFIDELIBUS AUT  
HÆRETICIS OCCUPATIS ET DEINDE A CHRISTIANIS  
EMPTIS?

« Caput XVIII, *Sæpe contingit*, hoc titulo, ita  
 exposuit Benedictus XIV in epistola ad R. P. Nico-  
 laum Lercari, congreg. de Propaganda fide secre-  
 tarium, incipientem *Urbem Antibarum*, 19 mar-  
 tii 1752, occasione quorundam dubiorum ab  
 archiepiscopo Antibaresi propositorum circa bona  
 ecclesiarum prius ab infidelibus occupata deinde a  
 christianis empta, § XXII.

« Ita præscribit famigeratus textus Innocentii III  
 » in cap. *Sæpe*, *De restitutione spoliatorum*. Cum  
 » enim jus civile beneficium interdicti *Unde vi*, sive  
 » *restitutionis* concessisset dumtaxat adversum il-  
 » lum, qui per vim de possessione deiecerat et  
 » contra ejusdem hæredem universalem, ut habent  
 » L. I. § ult. et L. II. ff. *Unde vi*, minime vero con-  
 » tra illum in cujus potestatem res furto ablata  
 » devenerat, ut patet ex L. VII, ff. eod. etiamsi  
 » ille dum rem emit, furtivam eam esse non igno-  
 » rasset, idque ea ratione quod interdictum *Unde  
 » vi* directe propositum fuerat adversus eum qui vim  
 » intulisset, *Unde ut illum vi deieceris*, magno illi  
 » Pontifici parum tuta visa est hoc juris civilis dis-  
 » positio, ideoque decrevit ut remedium possessori  
 » *Unde vi* locum etiam haberet adversus illum qui  
 » spoliium quidem non commiserat, sed rem, quam  
 » alienam ac furto sublatam esse non ignorabat, a  
 » spoliatore mercatus fuerat, *non obstante juris  
 » civilis rigore, sancimus ut si quis de cætero scienter  
 » talem rem acceperit, cum spoliatori quasi succedat  
 » in vitium etc., contra possessorem et hujusmodi  
 » spoliato per restitutionis beneficium succurratur.*  
 » Atque sequentem decreti attulit rationem, eo  
 » quod non multum intersit, quoad periculum ani-  
 » mæ, injuste detinere aut invadere alienum. Hoc  
 » denique postulat canonici juris adagium quod u-  
 » in can. *Rapinam* 14, quæst. 3, ubi sic legitur:  
 » *Rapinam emere non licet, nisi ea intentione ut,  
 » cui est ablata, reddatur.*

» Hac decretali innovatus est etiam canon 3  
*Reintegranda*, idem statuens, cum nimirum negli-  
 geretur a iudicibus, maxime sæcularibus, jus civile  
 sequentibus; qui canon desumptus est ex epistola I  
 Joannis Papæ ad Zachariam archiepiscopum, prout  
 refertur a Gratiano, caus. 3, quæst. I; quamvis  
 Berardi, tom. II, cap. L, in opere cui titulus, *Grati-  
 tiani canones genuini*, etc., dictam epistolam inter  
 fragmenta Isidori Mercatoris recenseat.

» His tamen non obstantibus, si agatur de bonis  
 ecclesiasticis mobilibus ab hæreticis et infidelibus  
 occupatis, et a christianis emptis, idem Benedictus  
 loc. cit. ex sententia theologorum congregationis  
 de propaganda fide, et consultorum universalis

inquisitionis, ob præsumptam dominorum volunta-  
 tem, declaravit ea tuta conscientia retineri posse,  
 dummodo christiani emerint animo restituendi,  
 quotiescumque impensæ pecuniæ solutio a domino  
 oblata fuerit, contrarium tamen esse tenendum  
 demonstrat de bonis immobilibus, quæ secundum  
 veriore et tutiorem sententiam probat restituenda  
 esse una cum omnibus fructibus absque ulla pretii  
 solutione, a spoliatis facienda (Giraldus, *Exposit.  
 jur. pontif.* part. I, sect. 250). »

## ADNOTATIO XLVI.

*Lib. II. Decret. Tit. XVI. Ut lite pendente nil  
 innovetur. § II. n. 48, pag. 458.*

DE COLLATIONE BENEFICII LITIGIOSI, SI UNUS EK  
COLLIGANTIBUS, LITE PENDENTE, DECEDAT.

Auctor noster non videtur attendere ad cap. II, *Si  
 ii*, hoc titulo, cujus sequens tenor est: « Si ii, contra  
 quos super dignitatibus, personatibus vel aliis eccle-  
 siasticis beneficiis quæ possident litigatur, lite pen-  
 dente cedant vel forte decedant, ne propter novos  
 adversarios, qui malitiose interdum petitoribus  
 subrogantur, litigia in Ecclesiarum dispendium  
 prorogari contingat, statuimus ut dignitates, per-  
 sonatus vel beneficia hujusmodi (donec contra  
 superstites lis finita fuerit) alfis nullatenus confe-  
 rantur, nec ad ea eligatur quisquam vel etiam præ-  
 sentetur. Quod si secus actum fuerit, eo ipso irri-  
 tum habeatur. Sane, si ad defensionem ipsius litis  
 aliqui, quorum intererit, petierint se admitti, eos  
 in illo statu in quo ipsam invenerint decernimus  
 admittendos. »

Occasione hujus decretalis orta est regula cancel-  
 lariæ, *de Subrogandis colligantibus*, quæ nunc est  
 XXIX in ordine, juxta publicationem regularum  
 ejusdem cancellariæ, factam a Benedicto XIV,  
 31 aug. 1740.

## ADNOTATIO XLVII.

*Lib. II. Decret. Tit. XVII. De sequestratione pos-  
 sessionum et fructuum. § II. n. 47, pag. 466.*

## DE VIOLANTIBUS SEU IMPEDIENTIBUS SEQUESTRATIONEM.

« Nota I, cum doctoribus relatis a Thesauro, *De  
 Pænis*, cap. II, vº *Sequestratio*, hodie ex stylo curiæ  
 jus Clementinæ *Ad compescendas*, hoc eod. tit. in  
 clementinis, esse aliquantulum immutatum, quia  
 quando lis pendet in curia Romana v. g. in tri-  
 bunalibus Rotæ, et ab eo fertur prima sententia,  
 sequestratio non fit ab ordinario vi hujus Clementi-  
 næ, sed auctoritate apostolica. Ex quo inferunt  
 quod violentes seu impedientes dictam sequestra-  
 tionem non incurrant excommunicationem ab ea  
 latam, sed ab homine, quam ferre solet idem tri-  
 bunal, quod sententiam tulit et executioni mandari  
 decrevit. Quamvis alii ab eodem Thesauro ibid.,  
 citati verius contrarium sentiant, quia tunc Rota

mandat diocesano ut sequestret juxta sancita a laudata Clementina.

» Nota II impediendam præfatam sequestrationem, vel fructus occupantem, incurrere etiam excommunicationem Papæ reservatam, latam contra usurpantes fructus beneficiorum ex cap. XVII Bullæ Cæne, et ex cap. IX Trident. sess. 22 de Reform. Sicuti si impediatur per recursum ad laicam potestatem, ex cap. XIII et XVI ejusdem Bullæ.

» Nota III quod cum in mox cit. cap. XVI feratur excommunicatio in impediendum jurisdictionem ecclesiasticam ordinariorum, vel ab eis delegatorum, eam non incurrit, ex vi dicti capituli, impediens Rotam vel ordinarium quomous utantur jurisdictione sibi delegata a Sede apostolica, ut sentit Glossa in Clementina 3 Auditor, de Rescriptis, et post Barbosam Thesaurus, loc. citato (Giraldus, Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 253). »

NOTATIO XLIII.

Liv. II. Decret. Tit. XVIII. de Confessis. § II n. 43; pag. 474.

DE SPONTE CONFESSIS.

3 Sanctioni cap. II, Cum super, hoc titulo, quod scilicet, si reus solum criminem etiam incidente

sponte confessus fuerit, in jure habendus sit pro convicto, ideoque, non obstante spontanea confessione, puniri debeat pœna ordinaria, conformis est constitutio Benedicti XIV, Divinarum, 2 aug. 1757, quoad reos tam ecclesiasticos quam laicos qui ad sacerdotalem ordinem non promoti ausu temerario præsumperint missæ sacrificium celebrare, fidelium confessionem excipere, ac ad eucharisticam mensam accedentibus panem a se nulliter consecratum distribuere, ubi, revocata mitiori sententia cui adhæserat, in epist. encycl. ad omnes ordinarios, data eod. die 2 aug. ac reprobata tribunalium ecclesiasticorum praxi hactenus observata, decrevit iisdem reis nullatenus suffragari spontaneam confessionem ad pœnæ minorationem.

« Quam constitutionem Clemens XIII, feliciter regnans, constit. Gravissimum, 20 mart. 1760, in omnibus confirmavit, eamque extendit etiam ad auferentes vel habentes apud se, vel alio transfereutes particulas consecratas, quomodocumque etiam sine qualitate furti, sive per se sive de mandato alterius. Nota tamen has Benedicti et Clementis sanctiones non procedere in hujusmodi delictorum reis, absque ulla previa accusatione, sponte coram ecclesiastico tribunali comparentibus, ut expresse legitur in citata encyclica (Giraldus, Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 253). »

# ELENCHIJS

## TITULORUM PARAGRAPHORUM ET QUÆSTIONUM

IN HOC SECUNDO VOLUME JURIS CANONICI UNIVERSI CONTENTORUM.

### LIBRI I DECRETALIIUM

#### TITULUS XXXI.

##### DE OFFICIO JUDICIS ORDINARI.

###### § I.

De iis, qui appellatione ordinarii et episcopi veniunt.

- Quæstio 1. Appellatione ordinarii, qui veniant? 1  
 2. Quinam in specie secundum canones veniant appellatione ordinarii? 2  
 3. Quis nomine episcopi intelligatur, et an eo nomine quandoque veniant inferiores ordinarii? 3  
 4. Utrumque parochi veniant nomine prælatorum, sive ordinariorum jurisdictionem in foro externo habentium? 5

###### § II.

De jurisdictione archiepiscopi in suffraganeos horumque subditos.

- Quæstio 1. An, et qualem jurisdictionem archiepiscopus habeat in suffraganeos episcopos? 6  
 2. An, et in quibus casibus habeat archiepiscopus jurisdictionem in subditos sui suffraganei? 7

###### § III.

De potestate episcopi generatim.

- Quæstio 1. Quotuplex, et qualis sit potestas episcopi? 10  
 2. An potestas jurisdictionis competat episcopi immediate a Deo, vel potius mediante Papa. 11  
 3. Utrum illum, quem inferior prælatus excommunicavit possit episcopus hoc inscio absolute? 13

###### IV.

De lege diocesana, et lege jurisdictionis episcoporum.

- Quæstio 1. Quid generatim sit tenendum de lege diocesana, et jurisdictionis, et an monasteria ab eis sint exempta? 14  
 2. Quomodo interpretanda sit Lex Diocesana, et Lex jurisdictionis? Ibid.  
 3. Quænam sint illa, quæ specialiter pertinent ad legem diocesanam episcoporum? 15

###### § V.

De casibus illis, in quibus episcopi habent jurisdictionem in regulares exemptos.

Non habet quæstiones. 7

###### § VI.

Referuntur alii casus, in quibus regulares exempti episcopis sunt subjecti.

Non habet quæstiones. 23

#### TITULUS XXXII.

##### DE OFFICIO JUDICIS.

###### § I.

De judice, ejusque officio generatim.

- Quæstio 1. Quid sit judex? 27  
 2. Quænam requirantur in judice, quæque ejus iudicium pervertant? 28  
 3. An iudici liceat accipere munera, vel saltem xenia consistentia in esculentis, et poculentis? Ibid.  
 4. Utrum judex pro suo labore possit exigere sportulas? 29  
 5. Quotuplex sit officium iudicis? 30  
 6. In quo differat imploratio officii iudicis ab actione? 31